

*est verum? Quod tamen maxime omnium verum est? Sed si nihil cum ulla re habet commune mens ista infinita, cur cum physico infinito conturbatur? Eiusque loco nobis inculcatur praeter ius fasque omne.*

5 **Democriti defensio** [in margine]

Democritus accedat, quid illi Aristoteles opponat, audiamus. 1. Physico capite 2. et 3. Physico capite 4. et 1. De elementis capite 4. alibi etiam ait, Democritum infinita principia rerum naturae statuisset. Attamen invenimus locum apud Aristotelem quo  
10 narrat unum principium ab eo positum fuisse, corpus scilicet quoddam commune, id est 3. Physici iam dicto capite 4. in quo scribit, mox post illa infinita principia:<sup>37</sup> *Democritus vero nullum primorum aliud ex alio fieri dicit, sed nihilominus ipsum commune corpus omnium est principium rerum magnitudine per partes et figura differens.*  
15

An hoc Aristotelicum quoque dogma est? Materiam universam ἄπειρον, *inqualificatum* corpus, esse omnium principium rerum, quae inter se magnitudine et figura differentes universum constituunt? Atomique illi Democritici quid aliud sunt, quam  
20 formae rerum sui natura indivisibiles ac insecabiles, in materia prius latitantes, deinde materiam externe exornantes? At is Democritus, qui ab Aristotele obiurgatur, quod infinita principia statuerit quodque unum commune corpus ut ipse fecerat, principium omnium rerum esse dixerit 1. Physico capite 5. laudatur,  
25 quia ipse quoque, ut ceteri omnes physici, duo contraria principia posuerit:<sup>38</sup> *Et Democritus solidum et vacuum, quorum aliud quidem ut ens, aliud ut non ens esse dicit.*

<sup>37</sup> Δημόκριτος δ' οὐδὲν ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνεσθαι τῶν πρώτων φησίν, ἀλλ' ὁμως {γε} αὐτῷ [αὐτὸ] τὸ κοινὸν σῶμα ἀπάντων ἐστὶν ἀρχή, μεγέθει κατὰ μόρια καὶ σχήματι διαφέρον. [ARIST. Ph. 203a.33 – b.2]

<sup>38</sup> καὶ Δημόκριτος τὸ πλήρες [στερεὸν] καὶ κενόν, ὧν τὸ μὲν ὡς ὄν τὸ δ' ὡς οὐκ ὄν εἶναι φησιν. [ARIST. Ph. 188a.22 – 23]